

erudite congesta ab eminentissimo cardinali Cavalchino, dum erat secretarius ejusdem congregationis, in *Tricaric. administrationis seminarii* apud tom. VII *Thesauri Resolutionum sac. congreg. Conc.*, ibi: (184. *In Oscen.* proposita sub mense octobris 1585, ita habetur: « Alias sacra congregatio ad interpretationem *Decreti*, cap. 18, sess. xxiii, censuit: Episcopum Oscen. cum consilio deputatorum teneri tam circa institutionem, disciplinam et mores clericorum, quam circa temporalium rerum administrationem providere; sufficere tamen, quod episcopus hujusmodi consilium requirat, eorumque consilio adhibito, posse episcopum statuere et deliberare, quæ pro prudentia sua magis expedire judicaverit; exactionem vero, quæ fit pro seminario, ad solum episcopum pertinere. Dubitatur modo, mortuo episcopo, et in sede vacante, ad quem pertineat erectio et administratio dicti seminarii, et videtur quod pertineat ad capitulum, quia, sede vacante, capitulum fungitur vice episcopi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, cap. penult. et ult. *De supplen. neglig. prælat.* in 6, et cap. *Is, cui de elect.* in 6. . . . Sacra congregatio censuit pertinere ad capitulum. . . . ut in lib. iv *Decr.*, pag. 84. »

(185. *In Curien.* anno 1594, editum fuit hoc rescriptum: « Sacra congregatio censuit, omnes quatuor deputatos adhibendos esse in consilio in tota temporali administratione seminarii, præterquam in exactione, quæ ad solum episcopum spectat, ut in lib. viii *Decr.*, pag. 65, et consonat resolutio, quæ prodit in *Nullius*, sub annum 1595, hisce verbis. . . . Sacra congregatio censuit, omnes quatuor deputatos, de quibus agitur in cap. 18, sess. xxiii, vers. *Et quia*, adhibendos esse in consilio in administratione rerum ipsius seminarii, præterquam in compulsionem ad portionem seminario debitam, cujus facultas ad solum episcopum spectat, et in lib. viii *Decr.*, pag. 97. »

(186. *In Salernitana* propositis ad petitionem capituli cathedralis inter cætera hisce dubiis. . . . I. « An duo canonici electi ab archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum seminarii possint pro libito archiepiscopi mutari. II. An eorum consilium adhibendum tam in constituendis regulis universalibus seminarii, quam in electione singulorum puerorum introducendorum, electione magistrorum, librorum legendorum, confessoris provisione, discolorum expulsionem, visitatione, et similibus. III. An alii quatuor sint deputandi et deputati adhibendi sint in consilio, tantummodo in taxatione, contributione fructuum ex unione beneficiorum, et in aliis difficultatibus, ob quas seminarii instructio vel conservatio impediretur aut perturbaretur; an etiam, in exactione et temporalium administratione tam d. seminarii, utputa, deputatione vel expulsionem ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis provisionis bladarum, quam etiam honorum quorumque, et reddituum ipsius seminarii ex beneficiis unitis, utputa locationibus, ces-

sionibus, aliisque contractibus, et litibus. IV. An hi quatuor deputati sint perpetui, vel etiam amovibiles, servata lamen ratione concilii in eorum electione, et dicta electio spectet ad capitulum. . . » Responsum fuit. . . « Ad I. Non posse amoveri, nisi ex legitima causa. Ad II. In omnibus his esse adhibendos. Ad III. Teneri episcopum adhibere deputatorum consilium tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem. Ad IV. Esse perpetuos. . . Ut in lib. vi *Decr.*, p. 22 et sequent. »

(187. *In Papien.* 7 Julii 1591, eadem sacra congregatio censuit, canonicos ab episcopo electos ad seminarii administrationem ad præscriptum cap. 18, sess. xxiii, vers. *Quæ omnia*, esse perpetuos, nec posse amoveri, nisi ex justa et legitima causa, ut in lib. vii *Decr.*, pag. 13, et in *Sarzan.* 25 Junii 1693, rescripsit, oratorem ab episcopo electum ad seminarii administrationem juxta præscriptum sacri concilii cap. 18, sess. xxiii, vers. *Quæ omnia*, non posse amoveri, nisi ex justa et legitima causa, . . . ut in lib. xvi *Decret.*, pag. 221.

*In Fundana* denique deputationis officiali seminarii, inter cætera fuerunt discussa duo hæc dubia: « I. An episcopus potuerit, et possit deputare rectorem, aliosque officiales seminarii absque consilio deputatorum a capitulo. II. An episcopus in revisione et solidatione computatorum dicti rectoris debuerit sequi consilium eorumdem deputatorum; . . . die vero 26 Martii 1689, responsum fuit: ad I. *Negative*; ad II. Teneri adhibere consilium, sed non sequi. . . ut in lib. xxxix *Decr.*, p. 129 et sequent. »

(188. Et in dicta *Tricaric. administrationis seminarii* 24 Martii 1736, ad sequentia dubia:

« I. An administratio œconomica seminarii exerceri debeat per episcopum, vel potius per deputatos.

« II. An constet de sufficienti redditione rationis administrationis exercitæ per deputatos seminarii.

« III. An sit locus remotioni canonici Filiiucci deputati seminarii in casu, etc. »

(189. Eadem sacra congregatio. Concil. respondit: « Ad primum, administrationem competere episcopo cum consilio deputatorum; præterquam in exactione, quæ spectat ad solum episcopum. Ad secundum *negative*, et episcopus procedat prout de jure contra debitores. Ad tertium *affirmative*. »

(190. Seminarii rectorem esse ab episcopo constituendum, cum deputatorum consilio, juxta allata decreta, limitationem patitur, ut scite et erudite tradit Benedictus XIV. in *Synodo diœcesana*, lib. v, cap. 11, n. 9, quoad seminaria, quæ legitima auctoritate tradita sunt curæ et regimini alicujus ordinis regularis sub expressa conditione, ut ejusdem ordinis prælato integrum sit, quem maluerit, sui instituti religiosi in seminarii rectorem eligere et deputare, uti patet de seminario Romæ, quod Pius IV commisit curæ et regimini PP. Societatis Jesu, ut le-

gitur in Bulla 134, Urbani VIII, § 4, *Bullar.*, tom. V, ibi: « Ipsumque seminarium sic erectum et institutum curæ et regimini, et administrationi præpositi generalis, et presbyterorum Societatis Jesu, et sui, ac Romani Pontificis pro tempore existentis in dicta urbe vicarii in spiritualibus generalis tutelæ, patrocinio et protectioni commisit. » (191. Et de seminario civitatis Conceptionis in America Meridionali commisso pariter curæ et regimini Patrum ejusdem Societatis Jesu ex facultate sacre congregationis Concilii concessa sub die 13 Junii 1722, in dicta Americana apud *Thesaur. resolutionum*, tom. II, pag. 191, ibi: « Pro facultate, ita tamen, ut alumni nominentur ab episcopo, et seminarium sit sub patrocinio, protectione et subjectione episcopi. » (192. Insuper sub eisdem legibus alia quoque episcoporum seminaria aliorum regularium gubernio reperiuntur commissa; cura siquidem seminariorum civitatis Albani et Senogalliæ tradita est clericis regularibus *Scholarum piarum* nuncupatis; et ipsemet Benedictus seminarii Bononiensis regimen dedit clericis regularibus Sancti Pauli vulgo *Barnabitis*, non amotis quidem deputatis, qui juxta Tridentini sanctiones seminarii disciplinæ atque administrationi invigilant, sed eorumdem auctoritate intra certos limites coercita. Hæc ille, *loc. cit.*, n. 9.

(193. Quibus adde seminarium civitatis Viglevanensis legitima auctoritate commissum curæ Patrum congregationis Somaschæ, ut videre est in *Thesaur. resolutionum sacre congregationis Concilii*, tom. IX, fol. 90 et sequent., ubi proposita et resoluta fuerunt sequentia dubia:

« I. An omnes alumni sint eligendi per episcopum. Et quatenus *negative*;

« II. An illi octo nominandi per P. rectorem ejusdem seminarii indigeant examine et approbatione episcopi, ut admittantur in casu, etc.;

« III. An exactio reddituum assignatorum pro alimonia alumnorum spectet privative ad episcopum cum consilio deputatorum seminarii, excluso rectore seminarii? Et quatenus *negative*;

« IV. An saltem administratio et exactio faciendæ sit per dictum rectorem, cum participatione tamen, consensu et mandato episcopi pro tempore in casu, etc.;

« V. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de administratis episcopo cum assistentiâ deputatorum seminarii in casu, etc.;

« VI. An liceat episcopo cum assistentiâ, ut supra, toties quoties voluerit visitare seminarium tam in spiritualibus quam in temporalibus in casu, etc.;

« VII. An idem, cum assistentiâ, ut supra, licitum sit capitulo seu vicario capitulari, sede vacante in casu, etc.;

« VIII. An magistri missi a congregatione Somaschensi ad servitium seminarii pro grammatica, rhetorica, et casibus conscientiæ debeant examinari et approbari ab episcopo in casu, etc.;

« IX. An hoc ipsum tempore sedis vacantis spectet ad capitulum, ut supra in casu, etc.;

« X. An PP. Somaschenses teneantur reddere rationem de annuis libris 3256, pro toto tempore, quo in seminario non fuerunt alumni, et cui, ac quibus remediis cogi possint in casu, etc.;

« XI. An iidem teneantur restituere pro eodem tempore, quo seminarium remansit clausum, proventus pro eorum maintenance et salario assignato in casu, etc.;

« XII. An PP. Somaschensibus, ultra præfixum numerum viginti alumnorum, liceat in seminario recipere alios convictores de aliena diœcesi in casu, etc.

(194. Sacra congregatio die 14 Januarii 1714, distulit resolutionem, die vero 27 ejusdem mensis et anni respondit: Ad I. *negative*; ad II, indigere approbatione episcopi; ad III, *negative*; ad IV, *affirmative*; ad V, VI, VII, *affirmative*; ad VIII, *negative*; ad IX, *negative*; ad X, *affirmative* episcopo, ac per eum cogi juris remediis; ad XI, *negative*; ad XII, *affirmative* de licentia episcopi, et amplius in omnibus. »

(195. \* Tenetur episcopus providere sibi consilium duorum de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter a capitulo eligatur; item duorum de clero civitatis, quorum alterius erectio ad clerum spectat, quæ omnia sunt ex cap. 18, sess. xxiii *Tridentini*. His omnibus deputatis uti debet in administratione rerum seminarii; sicut etiam illi adhibendi sunt circa institutionem et disciplinam ejusdem seminarii; quanquam episcopus ita debet in his omnibus eorum consilium audire, ut sequi non teneatur; *De synod. diœc.*, lib. v, cap. 11, ex pluribus sac. Congr. *Decretis*.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(196. De exordio et progressu seminarii, tum de optima eorum regimini ratione, vide Joannem de Joanne, in *Historia seminariorum clericalium*. Confer etiam S. M. Benedictum XIV, *De synodo diœcesana*, lib. v, cap. 11 per tot.

(197. Tria vero hic haud sunt omittenda. Primum est, quod id quod dicitur, seminarii rectorem esse constituendum ab episcopo, cum consilio deputatorum, limitationem recipit quoad seminaria, quæ legitima auctoritate tradita sunt curæ et regimini alicujus ordinis regularis, data prælato ejusdem ordinis facultate eligendi quem maluerit ex suis religiosiis in rectorem. S. M. Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. v, cap. 11, § 9. (198. *Legitima*, inquam, auctoritate, scilicet sacre congregationis Concilii interpretis; nam ab episcopo propria auctoritate haud potest seminarium tradi curæ et regimini alicujus ordinis regularis. (199. Hinc episcopus civitatis Conceptionis in America Meridionali die 13 Junii 1722, hanc facultatem impetravit a mox dicta sac. cong. *Vide supra* numer. 192.

(200. Alterum est, quod necesse haud habet episcopus rationes reddituum semina-

rii accipere ab administratoribus in synodo, ut sentiunt Piasec., in *Prax. episcop.*, part. 1, cap. 2, art. 1, num. 11; Barbos., *De offic. et potest.*, part. III, alleg. 93, num. 2, sed potest etiam accipere extra synodum, dummodo ad normam Tridentini concilii, sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, accipiat presentibus duobus a capitulo, ac totidem a clero civitatis deputatis. S. M. Benedictus XIV, *De synod. dioces.*, lib. I, cap. 11, § 4, ubi solum limitat si consuetudo diœcesis ferat, ut rationes hæ accipiantur in synodo.

201. Tertium demum est, quod si duæ ecclesiæ cathedrales æque principaliter unitæ sint, non aliter episcopus satisfaciat præcepto concilii Tridentini, quam si in una, itemque altera ecclesia cathedrali erigat seminarium; idque quia verbum *singula*, quo concilium Tridentinum utitur distributive, refert dispositionem decreti ad unamquamque ecclesiam cathedralem, ita ut tot esse debeant seminaria, quot sunt ecclesiæ cathedrales. Consule Lanfredin., *Respons. eccles.*, 46 fere per tot. ubi etiam et illud discutit, quando seminarium dici queat erectum.

*Addenda et notanda ex Benedicto XIV, ex synodo diœces.*

(In hac editione Casinensi.)

« Nihil est, quod magis conferat ad reipublicæ felicitatem, quam quod puerilis ætas ad omnem informetur sapientiam: cum enim sit Spiritus sancti effatum: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea* (Proverb. XII), inde poterit respública optimos rectores et administratos sperare, ac jure sibi polliceri. Hæc scite perpendentes majores nostri, ubi primum turbulentis priorum sæculorum temporibus successit tranquillitas, episcopalia seminaria institui curarunt, in quibus, sub episcopi oculis, instruerentur et perpolirentur juniores clerici, qui ad majores ordines crescerent. Nisi suspecta esset fides illorum Nicænorum canonum, quos ex Arabico in Latinum sermonem versos, primo Franciscus Turrianus, deinde Abrahamus Ecchellensis evulgarunt, merito affirmari posset, ejusmodi seminariorum vestigia fuisse a concilio Nicæno delineata: etenim in canone qui est 53 apud Turrianum, et 59 apud Ecchellensem, jubentur chorepiscopi « instituire ministros, eosque distribuere per ecclesias » et monasteria, et providere ut discant: ut reddantur apti et idonei ad ædificationem monasteriorum et ecclesiarum, et aliorum locorum, quæ horum opera indigebunt. » Quæ quidem verba expendens qui notas huic canoni adjecit in *Collectione Labbeana*, tom. II, p. 307, ait: « Cernitur in hoc canone ratio quædam seminarii ministrorum Ecclesiæ, seu vestigium quoddam seminariorum, quæ nuper, secundum decretum synodi Tridentinæ, instituta sunt. » Verum, quod jam nos animadvertimus in nostra *Instit. eccles.* 59, ubi de seminariis disseruimus, cum allegatus canon Nicænus non accenseatur numero illorum viginti,

quos, tanquam indubios concilii Nicæni fetus, universa recipit Ecclesia, nihil certi ex eo colligere possumus. Aliud certissimum et manifestum seminarii clericorum vestigium nobis suppeditat concilium *Toletanum II*, habitum anno 531, cum cap. 1, decernat: « De his, quos voluntas parentum a primis infantis annis clericatus officio mancipavit, statuimus observandum, ut mox, cum detonsi, vel ministerio lectorum contracti fuerint, in domo ecclesiæ, sub episcopi presentia, a præposito sibi debeant erudiri. » *Collectionis Harduini*, tom. II, col. 1139. Idem, quod *Toletanum II*, constituit *Toletanum IV*, celebratum anno 633, cap. 24, et relatum a Gratiano cap. 1, 12, quæst. 1, præcipiens, ut in ædibus ecclesiæ proximis juniores clerici educantur sub cura sanctissimi senis, cujus oculos nec ad momentum effugiant: « Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum: nihil enim incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commoerentur, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputato probatissimo seniori, quem magistrum doctrinæ et testem vitæ habeant. » Concilium vero *Vasense II*, anni 539, cap. 1, non unum tantum in qualibet diœcesi, sed in cujuslibet parochi domo, clericorum seminarium esse jubet asseritque idem in totius Italiæ moribus positum: « Placuit, ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores, quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant: et eos quomodo boni patres spiritualiter nutriendos, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, et in lege Domini erudire, contendant: ut et sibi dignos successores provideant, et a Domino præmia æterna recipiant. » *Collectionis Harduini*, tom. II, col. 1105.

« Posterioribus tamen sæculis infrequens est mentio ejusmodi episcopaliu seminariorum; quod ideo evenisse plerique arbitrantur, quod illorum loco passim erecta fuerint clericorum collegia intra monasteriorum claustra. At licet monachi scholas ubique aperuerint, in quibus pueri erudirentur, sicuti narrat Mabillonius, in præfat. ad sæcul. III, in *Act. SS. ord. S. Benedicti*, § 4, et colligitur ex concilio *Aquisgranensi* anni 789, cap. 72, ubi adolescentes vel in episcopis, vel in monasteriis, pro ipsorum vel parentum libito, litteris atque ecclesiasticis disciplinis institui jussit: « Ut scholæ legentium puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam, per singula monasteria vel episcopalia discant. » Tom. IV, *Collectionis Harduini*, col. 842, attamen, ut idem Mabillonius, *ibidem*, n. 40, probat, nunquam sæculares clerici, intra monasterii septa educandi, bonisque artibus imbuendi, excepti fuere, sed duæ diversæ

in quolibet monasterio constitutæ erant puerorum scholæ; aliæ *interiores*, seu *claustrales*, pro monachis et pueris monasterio oblati; aliæ *exteriores et canonicæ* pro clericis sæcularibus; clerici enim vocabantur, quotquot litteris operam dabant, quod testatur Ordericus Vitalis, *Hist.*, lib. III, iniquiens: « Rodolphus autem quintus frater, clericus cognominatus est, quia per litteras, aliarumque artium optime imbutus. » Eisdem etiam discriminis inter sæcularium clericorum aliorumque, qui se religioni devoverant, scholas, præter Mabillonium, fidem facit Gerardus Dubois, in *Hist. Eccl. Paris.*, lib. XI, cap. 7, ubi pag. 776, ait: « Scholæ illæ in primis ceptæ sunt ad clericorum institutionem: unde scholares clerici vulgo dicebantur, et eam ob causam scholas erigi jubent, et constitutiones regiæ, et decreta conciliorum; locus et episcopium, et monasterium designatur, hoc monachis, illud clericis: » quin imo in conventu ab abbatibus Franciæ habito Aquisgrani anno 817, cap. 42, expresse statutum legimus: « Ut nullus plebeius, seu clericus sæcularis in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus; » et cap. 45: « Ut schola in monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblata sunt. » Tom. IV, *Collectionis Harduini*, col. 1231.

« Quanquam itaque verum sit, quod asserit Thomassinus, *De vet. et nov. Eccles. discept.*, part. II, lib. I, cap. 102, n. 1, nimirum, circa annum Christi millesimum neglecta prorsus fuisse episcopalia clericorum seminaria, id tamen non inde contigit, quod clerici intra monasteria educarentur, sed quia satis visum est episcopis, ut monachorum, aut universitatum, quæ jam ea tempestate auctæ et propagatæ erant, scholas illi frequentarent. Sed cum postea, quod idem Thomassinus, *ibidem*, n. 4, observat, in universitatibus, litterarum fervore et scholarum pompa pene oppressa langueretur pietas, regulares vero congregationes subalienatæ essent ab illa strictissima cum episcopis conjunctione, qua olim ab ipsis totæ pendebant, et quam clericis omnibus inspirari avebant episcopi: idcirco de antiquis seminariis restituendis cogitatum est. Reginaldus cardinalis Polus, cum anno 1536 Anglicani cleri reformationem meditaretur, inter cætera reformationis capita, quæ exstant in *Collectione conciliorum Harduini*, tom. X, col. 408, juniores clericos educari jussit in seminariis, quorum formam decreto 11 expressit; uti etiam a nobis fuit adnotatum in citata nostra *Instit. Eccl.* 59. Formæ autem, quam Polus delineaverat, summam manum adjecere Patres *Tridentini*, sess. XXIII, cap. 18, *De reform.*, decernentes, ut a quolibet episcopo prope suam cathedralem ecclesiam, aut alio convenienti loco, collegium seu seminarium institueretur, ubi clerici omnibus liberalibus artibus et ecclesiasticis excolantur instituti; cujus quidem decreti executionem urgere non omisimus in nostra epistola commonitoria ad omnes

episcopos, quæ est secunda § 2, *Bullarii nostri*, tom. I. Ne vero ejusmodi seminaria ex reditu defectu, ullo unquam tempore pereant, statuit ibidem Tridentinum, ut ex rebus mensæ episcopalis et capituli, et quorumlibet beneficiorum diœcesis, certa pecuniæ summa detrahatur, quotannis seminario pensanda, juxta mensuram seu taxam, ab ipsomet episcopo præscribendam cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab ipsomet episcopo, alter a capitulo eligatur, ac duorum item de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad eundem clerum pertineat. Inter Apostolicas litteras S. Pii Papæ V, typis impressas per Franciscum Gaubau, complures leguntur, quæ hujusmodi seminariorum erectiones respiciunt, dum Sanctus Pontifex episcopis per Germaniam constitutis Tridentinorum decretorum executionem hac in re enixe commendat. »

(Quoad vero seminarii rectorem, nempe quod constituendus sit ab episcopo cum deputatorum consilio) « limitationem patitur, quoad seminaria, quæ legitima auctoritate tradita sint curæ et regimini alicujus ordinis regularis, sub expressa conditione, ut ejusdem ordinis prælato integrum sit, quem maluerit, sui instituti religiosum in seminarii rectorem eligere et deputare. Ita accidit Romæ, ubi cum, juxta Tridentini statuta, clericorum seminarium a Pio IV erectum fuerit, et suppositum jurisdictioni ac tutelæ cardinalis in urbe vicarii, ejus cura et actualis administratio commissa est præposito generali et presbyteris Societatis Jesu, quod legere est in constit. 134, Urbani VIII, § 4, *Bullar.*, tom. V. Dubitaverant nonnulli ex iisdem religiosis, an sine violatione proprii Instituti, fas sibi esset, curam acceptare seminarii, quod episcopi subsit jurisdictioni; sed pervolutis S. Ignatii Regulis, perpensisque suarum generalium congregationum decretis, nihil inventum est, quod prædicto regimini suscipiendo adversaretur, modo tamen deputatoris aliorumque religiosorum, qui seminarii præsent regimini et disciplinæ, ad præpositum generalem pertineat, quod a congregationibus generalibus, secunda scilicet sub S. Francisco Borgia, quarta sub P. Claudio Aquaviva, et duodecima sub P. Carolo de Novelle fuit declaratum. Cum nos munere fungebamur secretarii sacræ congregationis Concilii, episcopus civitatis Conceptionis in America Meridionali, se plurimum allaborasse retulit, ut clericorum seminarium, ad Tridentini normam, in sua erigeret diœcesi, sed vel nullum, vel exiguum sane fructum ex illius jam propediem absolvenda erectione, sperare, nisi ejus cura demandaretur Patribus Societatis Jesu; cum difficile esset homines sæculares inibi invenire, ad clericos in doctrina et pietate imbuendos, et seminarium rite administrandum idoneos. Actum fuit de hac re in congregatione habita die 13 Junii 1722, et deliberatum, dandam esse episcopo, quam